1783. Kopczyński Onufry

valentino Gagatowicz medico suo...

VALENTINO GAGATOWICZ

Medico suo, die Natali Ejus sacra,

ONUPHRIUS KOPCZYŃSKI,

Pro Valetudine Oculorum,

Salutem, & Regium Numisma D. D.

MDCCLXXXIII.

Emis a Medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam: itaque huic non rei pretium, sed operae solvitur... Quid ergo isti debeatur, qui plus impendit, quam Medico necesse est? qui pro me, non pro fama artis, extimuit? qui non fuit contentus, remedia monstrare, sed admovit? interea sollicitus adsedit, ad suspecta tempora occurrit. Huic ego non tanquam Medico, sed tanquam Amico obligatus, ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo. Seneca Benef: L. VI.

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?

Horat.

E L E G I A

SAcra Valentino venit natalis ad aras:
Hæreo suspensus, quæ Tibi dona feram?
Quod tribuam, nihil est mihi, præter munera Regis,
Debuerant cineres quæ decorare meos.
Pro restaurata si nil persolvo salute;
In Medicum injustus judicer esse meum.
Regia si in Medicum transfundere munera cogor;
In Regem ingratus judicer esse meum.
Hem! quid agam? inde salus, par vitæ: Regia at inde est
Gratia, vel vita carior: hem! quid agam?
Inter utramque, diu, partem, multumque libratus;
Alterutram, majus pondus habere reor.
Credit paupertas, omni se lege solutam:
Restituenda solet perdere cuncta salus:
Qui dare scit, non vult donum sterilescere: nostrum
Ridebit Princeps, atque probabit opus.
Quæ pro Grammatico mihi sunt collata labore;
Hæc Tibi pro Medico dona labore fero.
Grammaticorum animis veteres ego pello tenebras;
Tu tenebras oculis pellis, Amice, meis.
Ergo parte sua dum ad opus concurrit uterque;
Mercedis partem sumat uterque suam.

Nam

Nam quis tot curas, quis tot discrimina rerum,
Et comitem facti quis ferat invidiam,
Præmia si tollas? Valeas ut noscere morbum,
Et quæ danda cui sit Medicina malo;
Sudabis multum: & quamvis sis magnus Apollo,
Fallent sæpe tuas irrita vota manus.
Tunc quoque cum videas & præstes omnia (dum se
Esse omnes Medicos Grammaticosque putant)
Pallidus invidia Censor, teque & Tua facta,
Momus damnabit carcere, morte, rogo.
Eja tace! pellendus abi, pulsatus adorá,
Vix magno Superum tute patrocinio.
Non frangi adversis, sed contra audentius ire,
Magno animo Medicum Grammaticumque decet:
Nec lassis requiem manibus concedere, donec
Fortior invicto sit Medicina malo.
Sed quis Olympiacam cursu contingere metam
Tentet, ubi desint emolumenta viæ?
Gloria sola Viro, dices, optatur honesto:
Hanc mercedem unam, qui bene fecit, habet.
Scimus, & isto hamo capimur, capimusque vicissim;
Nec tamen huc semper præda petita cadit.
Si Tibi non desint mediocris commoda vitæ,
Et labor assidua confoveatur ope;
Laudis amor præstabit opus mirabile, quod vel
Cromerus narret, *Sarbieviusve* canat.

Quod

❧ ✣ ❧

Quod si virtutis summæ conatibus obstet
Res angusta domi, nemoque præstet opem:
Aude aliquid magni, quo te *Baciarellus* (a) in umbris
Aut immortali fingat in ære *Lebrun.* (b)
Spes & amor laudis plenis te provehat alis;
Ludibrium venti, fabula plebis eris.
Me capiet laus hæc, & ad ardua facta vocabit,
Commoda quæ præstet subsidiumque operi.
O Patria! o Musarum & Libertatis asylum,
Lechia! quam Piasto Rege beata fores;
Si non fata maligna suis conatibus obstent!
Sic quoque Philosopho es Rege beata satis.
Artibus assiduoque vigent si Regna labore;
Omnia Rex, tanquam spiritus, intus alit.
Fervet ubique labor, campique urbesque virescunt,
Res vigil assiduo publica consilio est:
Commodiore stola indutæ (c) per compita Musæ,
Virtutis spargunt semina & ingenii:
Ut, si fata sinant, vitio quæ perdita Avorum
Ploramus; melior possit habere Nepos.
Hæc sperare licet: namque emolumenta laborum
Laudi juncta simul corda manusque trahunt.
Lechia! flecte genu divosque precare potentes,
Ut Rex Nestoreos vivat in orbe dies.

Nam-

---

[a] Regius Pictor, Jtalus.
[b] Regius Sculptor, Gallus.
[c] Literæ in Elementares libros, Analytica ratione, linguaque patria redactæ.

Namque Tibi in fatis si jam ultima fixa ruina est;
(Horresco referens) Rege cadente, cades.
Natales celebrare Tuos, suavissime Amice,
Non potis es mecum nobiliore modo;
Quam de communi meditando Principe, Græcum
Decantare melos, Πάντα κοινὰ φιλῶν (d)
Non est Pandoræ pixis, quam mittimus: eja!
Accipe, & ex omni parte revolve datum.
Laureolam ecce viden? titulumque *Merentibus* inde,
Parva hinc tam magni Principis ora notes:
Qui spectans omnes insomni lumine Cives,
Laude illum, hunc pretiis, ad bene facta vocat.
Hæc sunt dona meis à Principe præstita curis;
Hæc ego pro curis dona rependo Tuis.
Pauper, dat quod habet: sed si ditissimus essem,
Non majora a me munera ferre queas.
Dantis honore animoque, valor quæsitus in illo,
Exsuperare omnes creditur orbis opes.
Jam si te novi (nec res est ardua, namque
Par candore animi rarus in orbe Tibi est)
Jurarem, mihi crede, pari pietate teneri
In Regem mecum pectus, Amice, Tuum.
Cultu ergo æquali Regis potietur Jmago,
Seu sit in æde mea, seu sit in æde tua.

Si

---

[d] Pauta coina Philon, i e. Amicorum omnia sunt communia.

❧ ✤ ❧

Si capis hanc, alia (ut nosti) de paupere gypso
Ornat Μȣσειον (e) Regis Jmago meum.
Jllam ut prætereaam, quam Rex dignatus ab alto
Visere me, cordi fixerat ipse meo:
Hæc spectata, animat cæptos finire labores, (f)
Pro Patriaque oneri subdere colla novo. (g)
Sed cum participem facio Te muneris hujus;
Non id Amicitiæ solius esse putes.
Justitiæ lex est: socium mercedis habere,
Qui fuit auxilio perficiendo operi.
Nunquam vidisset lucem, nec tanta tulisset
Grammaticus, sine Te, præmia, crede, labor.
Ingratus! periisset, ubi orbat luce parentem;
Abstulerat tantum ni Tua cura malum.
Fonte coronato, unde sitim sedavimus ambo,
Natales grato carmine claudo Tuos:
Fracta labore salus, celeret quoque funera; dulce est
Vivere Munifico Principe, dulce mori!

Ad

---

[e] Musæum.
[f] Grammatica Patriæ & Latinæ Linguæ.
[g] Lexicon Polonicum.

Ad Eundem, acceptare Numisma renuentem. (h)

Epigramma.

AUri sacra fames, Medicos vexare putata,
Tollitur exemplo GAGATOVICE Tuo.
Plaude genus mortale! salus non amplius auro
Indiget: e nuda iam venit ecce manu.
Cum Medico Victore decet certare Poetam:
Et partem missi restituisse dati.
Præmia, REGIS opus, laudi sunt juncta: metallum
Cum renuas, restet gloria tota Tibi.
Sic iam parte sua, licet impare, gaudet uterque:
Utile mi cedis, dulce relinquo Tibi.

(h) Remittens Numisma Medicus: „ fefellisti, inquit, Amicum versibus Tuis ca„ptum, dum simile aliquid Pandoreæ pixidi obtulisti, ex qua mæror me in„vasit, atque metus, ne quispiam mihi Virgilianum illud, Tuo nomine, „ occinat, *Hoc ego feci; tulit alter honores.*